



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Matrimonium Fidelium consummatum indissolubile est. Caput VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

CAPUT VII.

Matrimonium Fidelium consummatum indissolubile est.

1. **I**ta id certum est ex dictis, ut longior probatio sit omnino superflua. Breviter autem sic discurre. Ex una parte Matrimonium est ex natura sua, & ex ratione Sacramenti, indissolubile, ut vidimus in superioribus: ex altera, non apparet, Christum Dominum dedisse Ecclesie potestatem dissolvendi Matrimonium consummatum, immo, ex antiquissima traditione, ejus vinculum esse in omni casu insolubile, excepto ob alterius mortem, semper Ecclesia predicavit, ergo, &c.

2. Non est igitur admittenda consuetudo Græcorum, qui Matrimonium consummatum dissolunt ob adulterium, ut refert *Leander. a* Divertere enim potest conjux innocens, modo infra explicando, ob alterius adulterium, non verò (quod longè diversum est) vinculum dissolvere.

3. Illud autem hic locum proprium habet, ut explicemus, seu recolamus, in quoniam consistat ejusmodi consummatio, nam de ea memini, me iterum dixisse in simili supra. *b*

Enim verò consistit in receptione seminis virilis intra vas naturale Mulieris. Hinc, si habeatur vasis penetratio, sed sine viri seminatione, non erit consummatio, esto in foro externo, consummatio præsumatur. Ita Sanchez aliique adversus Medinam, & Petrum Ledesnam.

a Leand. d. 5. de matr. qu. 5.
b Supra Tr. 1. de imped. c. 12. §. 4. c Sanchez. lib. 2. matr. d. 21. G. Hurt. disp. 8. matr. diff. 9.

4. Si tamen, Contra, habeatur seminis receptio, non verò penetratio, quod contingere posse, matrice sibi semen attrahente, supponunt DD. habeatur consummatio, quia jam conjuges fiunt una caro, & unum principium generationis, quidquid dubitet Pont. & Pont. 5. Verum, requiritur ne seminatio facta à femina?

Respondeo. Probabilius esse, non requiri, tenet Sanchez, licet requiri fateatur esse probabile, quia ex opinione probabili multorum frequitur semen mulieris ad generandam prolem, & in aliorum opinione non requiritur.

Conjugibus jurantibus, se non consummasse Matrimonium, non est fides habenda in Judicio, nisi adsint alia indicia, v.g. Integritas Claustrum Virginalis, vel ipsam non fuisse deductam ad domum Sponsi, vel quid simile, ut docent Sanchez, g & Pontius h locis citatis. Quidquid autem concedat idem Sanchez i ne innitatis solum Integritati prædictæ claustrum: nam ob plura remedia, quibus utuntur femina, ut Virgines appareant, ex sola integritate nihil certi hac in re haberi posse, late probat ibidem Verricelli. *k*

Quid si alter neget, alter affirmet se Matrimonium consummasse? Vide prædictos DD. cum id magis ad forum externum pertineat, quam ad conscientie forum, de quo agere, nostrum est institutum.

An conjuges, quamvis Matrimonium consummaverint, licite ex mutuo consensu Religionem profiteri valeant? discutiam infra. *l*

Finis Tractatus Quinti.

TRACTA